



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Basilides & Socii MM. 10. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

pit; quemadmodum neque dies in pietatis operâ ei suffecit, singulis noctibus Maturinum, quem vocant cursum de SS. Triade, tam de Cruce, denique de Virgine Deiparâ absolvit. Appexuit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria: quid post hoc pensum somno relictum est, quem tamen ne tum quidem admisit, priusquam sex pauperum pedes abluisset. Diem sic auspicata est. Novem infantulos, quos à suis neglectos matribus educabat pro suis, nutricularum occupato officio, pascibat cibos ori ingerens, & quidem genibus nixa, ut reverentiùs haberi non possent, si vel cælo lapsi fuissent. Trecentis aliis, sed adultioribus, partito cum rege ministerio, cibum inferebat. Tum repetitæ preces utique penetratæ cælum, cum tot pauperum appreciationibus sublevarentur. Iidem publicè prodeuntem stipabant catervatim, vile satellitium, sed ad Superos profecturæ percommodum. In cujus itineris procinctu cum semper sterisset, edocta tandem divinitus est, quando migrandum esset. Mortua toto vultu erubuit. Sensisse plausus diceret, quibus tam rata virtus in cælo accepta est. *Ex Surio.*

Septem horarum Canonicarum officia, quasi septem baptismasum lavacra in Ecclesiæ sunt gremio constituta; ut septem offensionum maculas, quas ex quotidiana vite hujus conversatione contrahimus, totidem orationis quotidiane fluentis expiamur. S. P. Dam. op. 10.

SS. BASILIDES & SOCIIMM.

10. Iunij.

Offenduntur delicati, cum viam iis regiam, quæ ad cælum ducit, stratam crucibus ostendimus; cum per vepreta, quæ Christus calcavit, per

per cruenta Martyrum sanguine vestigia ducimus
 inuetos laborum; monstrabimus ergo naufea-
 bandis compendium, quo BASILIDES, TRIPVS &
 MANDALES extra ordinem ad cælum sunt per-
 ducti. BASILIDES operam suam Platoni viro pri-
 mario, sed impiæ superstitioni dedito locabat,
 studiosè argumenta omnia celans, ex quibus
 agnosci Christianus posset. Non placebat Chri-
 sto, quòd tam doctè uteretur foro, & tempori pe-
 ritius quàm conscientie vellicaretur, adversus
 præceptum suum duobus dominis emancipatus.
 BASILIDES nihil moratus, Platonem deserit, &
 cum sociis rectè ad littus profectus, in navem inci-
 dit, quæ instructiorem nulla unquam aqua tulit.
 Christus ad clayum sedebat, Angeli remigum of-
 ficium occupabant, nimis profectò familiariter
 officiosi. Quid metuerent felicissimi vectores?
 Syrtésne? an ventos? an fluctus? quidem credam
 optasse omnia pontum esse, & deesse littora pon-
 to: nam certè in portu denique trepidare coepe-
 runt, adversà de Aureliani savitie famà perculsi.
 Ausi ergo rogare Christum sunt, liceret sibi siccà
 morte, & incruentà defungi. Datum id quoque,
 placitâ compositos quiete Angelorum manus cælo
 intulerunt. Nihil audies suavius: & tamen fron-
 tem contraxisti, cum his quoque negatum audires
 duobus dominis servire. Ex Möbrit. & P. de Natal.

*Esto humilis, & pacificus & erit tecum Iesus: sis
 devotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes-
 citò fugare Iesum & gratiam ejus perdere, si volue-
 ris ad exteriora declinare: & si illum effugeris &
 perdidideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres a-
 micum? I hom. à Kemp. l. 2. c. 8.*

S.OLI